

ganter edifferit in hunc modum (a) : Sed forsitan dicit alius : Nullus ne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis ? Habeatur plane , & maximus : sed ita tamen , ut vere profectus sit ille fidei , non permutatio : siquidem ad profectum pertinet , ut in semetipsam unaquaque res amplificetur ; ad permutationem vero , ut aliquid ex alio in aliud transverteratur . Et infra (b) : Severant majores nostri antiquitus in hac Ecclesiastica segete triticea fidei semina : iniquum valde , & incongruum est , ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subdititium zizanice legamus errorem . Quin potius hoc rectum , & consequens est , ut , primis , atque extremis fibimet non discrepantibus , de incrementis triticea institutionis triticei quoque dogmatis fragem demetamus : ut , cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evokatur , & nunc latetur , & excolatur ; nihil tamen de germinis proprietate mutetur ; addatur licet species , forma , distinctio , eadem tamen eujusque generis natura permaneat . Et capite trigesimo secundo : Christi vero Ecclesia sedula , & cauta depositorum apud se dogmatum custos , nihil addit , non amputat necessaria , non apponit superflua , non amittit sua , non usurpat aliena ; sed omni industria hoc unum studet , ut vetera fideliter , sapienterque tradando , si qua illa sunt antiquitus informata , & inchoata , accuret , & poliat . Praeclarum hoc est Lirinensis Vincentii de munere Ecclesiae , ac potestate iudicium ; & in rem , de qua agimus , mirifice convenit . Conceptionis Mysterium Ecclesia vetus tenebat , sed tamquam in semine . Didicerat enim ab Apostolo Andrea , Christum ex Virgine , velut e terra numquam obnoxia maledicto , formatum fuisse (c) . Quod Andrea testimonium esse legitimum , & in legitimo extare vetustatis monumento , omnes Catholici confitentur , si Dupinium , aliosque paucos excipias . Rursus eamdem semper beatam , & ab omni contagione peccati prorsus immunem Patres antiqui praedicaverunt . Hoc simul

(a) Cap. 28.

(b) Cap. 30.

(c) In Act. S. Andreae .